DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

FEBRE FLAVA

INDIARUM OCCIDENTALIUM

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
QUÆDAM
DE
FEBRE FLAVA
INDIARUM OCCIDENTALIUM
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL WOODCOCK,

Ex Insula S. Christophori,

SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS
SOCIUS EXTRAORDINARIUS,
ATQUE
PRÆSES ANNUUS.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, æger extinguitur.

CELSUS, Lib. iii. cap. 1.

VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCIX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

S. WOODCOCK

GULIELMO ARMSTRONG, M. D.

S. D.

Tibi, Vir ornatissime, hasce primitias consecravi; cui enim potius quam illi, qui me Artis elementis Apollinaris instituit, beneficiaque permulta contulit. Vale.

ANDREÆ GRAY,

ARMIGERO,

DE SOUTHFIELD;

HANC DISSERTATIONEM,

OB

MULTA BENEFICIA IN SESE COLLOCATA,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

JOHANNI CARRUTHERS,

ARMIGERO,

HOC TENTAMEN,

AMICITIÆ CAUSA,

DEDICAT

AUCTOR.

THOMÆ WOODCOCK,

ARMIGERO,

PATRUM OPTIMO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATO

CONSECRARI

VOLUIT

FILIUS.

When first the head throbs, or the stomach feels
A sickly load, a weary pain the loins,
Be Celsus call'd: the Fates come rushing on;
The rapid Fates admit of no delay.
While wilful you, and fatally secure,
Expect to-morrow's more auspicious sun,
The growing pest, whose infancy was weak
And easy vanquish'd, with triumphant sway
O'erpowers your life. For want of timely care
Millions have died of medicable wounds.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE FLAVA

INDIARUM OCCIDENTALIUM.

AUCTORE SAMUELE WOODCOCK.

PROŒMIUM.

De modo quo hæc febris in Insulas Occidentales illata fuerit, variæ admodum sunt opiniones.

Plerique Gallorum scribunt, navem a Siam venientem, in insulam Martiniqu secum hanc pestem attulisse; et ex Insulis Occidentalibus ad Americam transiisse, quidam con-

tendunt: sed quæ de hac re relata sunt, plurimi nostræ ætatis pro nihilo putant.

Cognitum utique morbum illum et insulas et Americam ipsam devastasse, necnon copias nostras, tum maritimas, tum terrestres.

> "Nescia mens hominum fati sortisque futuræ."
>
> VIRGIL.

Periculis navigationis, et hostium quoque incolumis, juventus nostra huic succubuit hosti. Ah! contra illum quam inutilis virtus! Quod medici itaque mortalium misericordia capti, ad malum hoc explorandum operam dederint, cur miremur, non est; et non frustra laboravisse gaudeo.

An contagiosa febris sit necne, diu acriter certatum est; et controversiam dirimere nequeo. Eam nihil esse tamen, nisi remittentem regionum occidentalium gravissimam, et typho orbis terrarum veterum simillimam, et minime genus morbi novum, facile crede-

rem; quoniam chirurgi boni febrem hanc sese ex quadam navis parte ad cæteras sequi potuisse, me certiorem fecerint; et quidam adolescens Americanus, in febre flava ægris curandis mihi socius, in febrem eandem inciderit.

Virus hujus morbi, sic ut pestis, vasa lymphatica maxime afficere, est, cur credamus. Doctor Rush, glandulas partium diversarum intumuisse sæpe vidit; quod etiam bonum putat, quoniam, hoc facto, plerumque æger in salutem rediit. Quam rem Doctor Chisholm confirmavit.

Febrem incipientem excipit interdum flavedo cutis, quod profecto pessimum est; nam fere mors intra diem subsequitur.

Cujus rei propterea mentionem feci, quod hanc rem sæpius per tres annos ipse vidi in nosocomio maritimo insulæ S^ti^ Kitts, cui

præfectus amicorum mihi optimus Doctor Armstrong, qui in hoc morbo felicissime curando optime est de suis meritus.

Varia sunt omnia hujus morbi; hunc alius multum, alius nihil metuit; modo mitior, modo gravior est; modo brevior, modo longior.

Hunc morbum consideranti quædam se offerunt, ingenio humano vix explicanda. Morbi immunis est Afer, etiam nuper in insulam quamlibet transportatus: indigenæ quoque insularum in morbum non incidunt; sed si quisquam patriam annos paucos reliquerit, reditu fit morbo proclivis; talem quidem cognovi hac febre pessima laborare.

Infantes adolescentibus, fœminæ viris, rarius hac afficiuntur. Cælo non mutato, vix iterum aliquis afficitur.

Inde patet, quoddam in regionibus frigidis corpus humanum huic morbo obnoxium reddere.

HISTORIA MORBI.

Ut res magis perspicua sit, morbum tribus stadiis peractum ducamus, et morbi signa in tres partes sese sponte dividunt.

Aliter alios adoritur morbus, plerumque tamen ita invadit.

Stadium primum.—Languescit corpus; de quo queri æger nescit, nec jam medico opus esse credit: cito tamen accedunt appetitus ciborum pravus, dolor capitis; male se habet ventriculus, idemque calore ingrato afficitur; sæpissime hæc cæteris præeunt, et qua-

lis sit affectio futura fere designant; adsunt quoque dolor lateris dextri obtusus, ructus, gustus pravus, vertigo, visus obscurus, raucedo, cum faucium dolore. Plerumque febres per horrorem incipiunt, qui in hac haud ita gravis est, et semper cum anxietate, nausea, et præcordiis oppressis; calor sæpe pungens, raro intensus; pulsus arteriarum debiles, celeres, sæpe tactum effugientes; interdum tremunt, aut quasi serpunt. Oculi tristes, modo aqua, modo sanguine suffusi; sæpe vultus rubent, etsi aliter quam in aliis morbis; torvi quidem sunt, et perito morbum facile ostendunt: lingua sæpe humida et sordida; sitis raro urget, sæpissime nausea, rarissime vomitus, qui, cum aliquando accesserit, quod non spissum, sed lentum ejicitur; spiritus plerumque citatus; anxietas gravissima, et cruciatus, voce æger exprimit, morbi nescio vix credendos; alvus pertinaciter adstricta, malum auget; aut vigilia excruciat, aut inter dormiendum somnia mentem perturbant.

Stadium secundum.—Nunc denique remittitur febris fere intra horam XXXVI et XLVIII postquam accesserat. Spes redit ægro heu! cito fallax futura! Protinus omnia ingravescunt, oculi vultusque tristiores fiunt; e gingiva aqua quasi sanguine mista fluit; nausea cum vomitu gravior, inde ejecta quædam tunicis intestinorum interioribus similia continent; oculi, os, cervix, thorax flavent; urina parca, et flava; sudor vix jam accessit, attamen humida cutis est et capitis et colli; raro calor sano major; lingua adhuc sordida, et quam antea margine rubrior; sitis minus urget; sanguinis per nares fluxus interdum dolorem capitis sublevat; sæpius, sed vix unquam tam longo tempore quam in alio stadio, delirat.

Stadium tertium.—Deficit animus, ut dictum est, corpore moto; quam rem Doctor JACKSON vi nervorum cuidam torpidæ attribuit; sed vox hæc est, et præterea nihil.

Circulatio per vasa corporis extrema languida evadit, et frigescit corpus; pulsus arteriarum modo debilissime, etiam celerrime; modo interrupti, etiam non numerandi; vomitus est et creber et gravissimus; ejecta propemodum nigra sunt, omnibus detestata; respiratio difficillima; stria nigra in lingua sunt, quæ quidem plerumque omnino nigra est; interea anxietas ægri infanda est; fluit alvus, et fæces sæpe partes anum circa corrodunt; flavedo in colorem fere nigrum mutatur; putredo in totum corpus obrepit; petechiæ ubique efflorescunt; spiritus nunc graveolens et frigidus tarde emittitur; interdum dilirium adest, et, ne surgat, cavendum; sanguis ab ore, naribus, et auribus distillatur, et nunc vita cum gemitu fugit.

SECTIO CADAVERUM.

CADAVERIBUS hac febre interemptorum sectis, vasa sanguifera cerebri distenta videmus, et aliquando aquam effusam, quoddam fœtidi et nigri in ventriculo, et intestinis aliis quæ sæpe aëre quodam distenduntur, et interea tum inflammatione cum gangræna correpta; hepar dimidia parte minus factum, maxime flaccidum et fulvum, et vesicam fellis flaccidam, glaucam, et prope vacuam; ductus fellis materia eodem colore, quo vomita, plenos.

Doctor JACKSON comperit, tunicas interiores ventriculi fuisse abrasas, et vomitu ejectas, inde facilem explicationem vomitus antea descripti habemus; ille putat vomitum ni-

grum nihil esse nisi fellem corruptam. Nonne credere licet, hunc vomitum esse sanguinem corruptam, qui ex vasis ventriculi quam minimis, eodem modo effluxit, quo ille ex ore et gingiva?

QUÆ CAUSÆ MORBUM FACIUNT.

Sæpe vero novi incidêre morbi in quibus nihil adhuc usus ostenderit, et ideo necessarium sit animadvertere unde ii cœperint, et quos morbos optime cognitos referant; sine quo nemo mortalium reperire possit cur hoc quam illo potius utatur; et ob hæc quidem in obscuro positas causas persequuntur; neque dubium esse potest quin quæstio hæc utilissima sit, quoniam credit nemo, posse eum scire quomodo affectionem quamlibet

curare conveniat, qui, unde hæc sit, et cui generi morborum similis, ignoret.

Præsertim de causis hic dicendum, cum signa prius relata, cujus generis morbus sit.

Doctor H. Maclean febrem flavam ex fluidis elasticis, miasmatis, aut vaporibus sive per cutem, sive per os, sive per pulmonem, in corpus humanum introductis oriri affirmat; et ut febris plures homines occupaverit sævior ad paludes prope quam alicubi, eandem rem probare credit: interea confitetur morbum fuisse in locis a palude remotis, sed, ut solet, facultatem virus vehendi ventis attribuit. Utinam sane ventis committerentur omnes opiniones vanæ.

Doctor Rush putat hanc febrem ortam ex putredine herbarum reliquiarum in portu Philadelphiæ, et hoc facilius creditu sibi vi-

detur, quod morbus ipse partes illi proximas primum infestavit.

Attamen febris de qua agitur, eodem genere fuit quo illa in insulis visa, ut Chisholm et alii satis superque testantur.

Si fas esset, dicerem, temperationem esse quandam hominum regionum frigidarum, quæ eos maxime febri flavæ obnoxios reddat, sed causam ejus rectam in aëre Insularum Occidentalium latere. Quod sit virus, unde pendeat febris hæc, penitus incognitum, attamen ex homine illa affecto in sanum transit; ita sicut anguis angues, malum mala gignit.

CAUSA PROXIMA.

De causis proximis magno conatu magnas nugas dicere nolo, præter quas profecto de illis quod dicerem, nihil habeo.

DE SEDE MORBI.

Quidam putant, in ventriculo, et in primis viis sedem morbi inveniendam esse. Dr Chisholm de cerebro, Dr Rush de arteriis idem dicit; et quod verum sit dicunt omnes, quoniam alias aliter afficiat.

RATIO SYMPTOMATUM.

Nunc de quibusdam signis explicandis dicere licebit.

Nausea, quædam ventriculi molestia, quas æger initio morbi patitur, a Doctore Rush cerebro male affecto sunt ascriptæ ; ex vasis exhalantibus laxatis venit liquor ille limpidus et lentus, quem vomitum esse dictum est. Anne hoc alio modo pendere potest ab exhalatione per cutem, et urina reddita interea justo minore?

Calor, et dolor ventriculi, irritabilitas ejus gravissima, et quæ ostendat cadaverum sectio, ventriculum plurimum inflammatione laborasse demonstrant.

Flavedo cutis, fellis nigra, acris, corrupta, ex hepate vitiato oriuntur; alvus pertinaciter adstricta; et sensus omnes obtusi jure torpori virium vitalium, qualescunque illæ sint, ascribenda. Sanguis per os redditur cum aliis supra narratis, ut corpus etiam vivum putrescat, utique ostendit.

Denique, quod hæc febris male totum corpus afficeret, id satis superque ejusdem demonstrat vim causæ, quæ etiam validos et bonæ spei corripiat, et letho inexorabili dedat.

QUÆ MORBUM DISTINGUUNT.

In Insulis Occidentalibus, si quis advenarum fuerit signis mali supra narratis affectus,

eum febre flava laborare fere pro certo habeamus.

Cæterum alios morbos hanc imitari sciamus; oportet, quapropter, ut hæc ab alia affectione qualibet distinguatur, cautio est.

Obesi et sanguine pleni in hunc morbum maxime incidunt; eidem quoque viri fœminis, robusti imbecillis, procliviores.

QUÆ SPEM BONAM AUT MALAM OSTENDUNT.

Nullus morbus, excepta vix pestilentia ipsa hac febre, stragem hominibus magis dedit, et plerumque ut mortifera habenda est.

Crisin raro habet; dies critici ab auctoribus

numerantur III, V, VII, IX, XI, et, secundum RUSH, XXX: quotiescunque viderim, ni fallor, fuit intra septimum diem finita.

Pulsus arteriarum mitiores, sensus integri, mens sana bonam spem ostendunt. Si febris intermittatur, si secreta sint sana, si somnus hilaritatem inducat, spes sit nobis melior: verum febris pene finita, appetitus ciborum bonus, oculi micantes, vultus alacrior, optima omnium sunt; vires quacunque causa ab initio morbi fractæ, pessimum est.

Cum adsint excreta fœtida, sanguinis fluxus, maculæ lividæ, nigrities cutis, vomitus niger, vita ejus omnino est desperanda.

Convulsio semper formidini est; murmuratio tristis delirio feroci pejor est.

Oculi vitrei et concavi, torpor, tempora collapsa, mortem instare declarant.

CURATIO.

MEDICI, ut antea dictum, inter se de origine morbi disceptabant, et bonum fuisset, si inter se de rebus summis convenisset; sed de curatione quoque hujus morbi opiniones eorum fuerunt variæ, inanes, et, ni multum fallor, interdum perniciosæ.

Quidam anteponebant *methodum antiphlogisticam;* venæsectione, purgatione, fame, usi: alii, *phlogisticam;* cinchona, vino, opio, et aqua frigida affusa: alii paululum purgationis per submuriatem hydrargyri, vel secundo febris die venæsectionem præscribebant, deinde cinchonam, vinam, et omnia quæ roborent aromaticorum; quod faciebant, mor-

bum esse inflammationis primo stadio, postea autem putredinis, credentes.

Medicorum, ut aliorum hominum, " sua " trahit quemque voluptas;" quisque quæ semel bona ad quemquam morbum submovendum invenerint, ut semper optima proponunt; et quod in paucis casibus fortasse male viderint, quoniam voluntati faveret, perpetuum credi volunt, tametsi aliis similiter errantibus, minime parcunt.

Errores tamen, cum excusatione quadam audiendi sunt; nam nihil consummatum est dum incipit: exploratores omnes antè errant, quam totam regionem novam cognoverint; nihilominus, si labore meliorum auctorum in hac re caute utimur, quod plurimum ad morbum hunc curandum profuerit, seligamus.

Probavit experientia purgationem, aquam et tepidam et frigidam affusam, salivationem per hydrargyrum, cui quidam detractionem sanguinis addiderunt.

Secundum Doctorem H. Maclean, eorum, quibus detractus fuerit sanguis, quam aliorum, plures in salutem redierunt.

Idem laudat lavationem frigidam, et utitur quoque remediis quæ stimulant; quæ certe, ne debilissimi putredine vel gangræna corripiantur, ad prohibendum utilissimæ sunt.

Alii etiam magni nominis, Rush, Jackson, &c. ut sanguis promiscue mittatur, præsertim sub morbi initium, suadent. Equidem longe aliter curatis prospere evenisse ipse vidi; sed cur ita fuerit, ignoro.

Morbo incipienti, summa ope occurramus oportet, nam opportunitas amissa raro rever-

titur; vena incidatur, et per totum morbum alvus purgetur, vel saltem mollis præstatur; ita febris compescitur, et inflammatio tollitur; quæ intus irritant, amoventur, congestio qualiscunque prævertitur.

Submurias hydrargyri, aut per se, aut cum jalapa exhibeatur.

Vomitus, nisi initio morbi, propter irritabilitatem ventriculi, nocet. Si interea aut caput aut pectus dolet, caput abradatur, et aqua cum aceto lavetur, et pectori emplastrum meloes vesicatorii applicetur.

Assidue utamur affusione aquæ frigidæ, de utilitate cujus omnes uno ore consentiunt.

Multum ubi morbus longus ægrum infirmaverit, ad lavandum totum corpus, melius est spongia uti cum aqua vel frigida vel tepida, sicut res postulare videbitur; sed cum

fieri possit, affusio frigida, ut optima, est adhibenda.

In nosocomio insulæ Sti Kitts, vas magnum, aqua frigida plenum, per ægrum infundebatur sexies in die, si post primam infusionem æger melius se habuisset; alias hoc faciebant bis et ter intra diei spatium, prout ægri vires ferre poterant.

Adhibetur nunc quoque cum fructu in typho Insularum Britanniarum, quis morbus febrem flavam multum refert.

Secundum Doctorem Currie, infusio hæc est utilissima cum febris ardet, vel cum primum decedere; cæterum dicit, ullo tempore adhiberi posse si frigus absit, dummodo calor est major et sudor minimus; quæ omnia, ut puto, in febre flava quoque observanda. Ut augerentur effectus boni infusionis frigidæ, per ægrum simul ac e balneo tepido

venisset, infundi ex vase pleno aquam egelidam vidi, quod, quibus febris gravissima, his maxime profuit.

Nunc hydrargyrum consideremus, qui non solum purgandi causa, sed salivandi exhibendus est; et per os, et per cutem in corpus introducatur. Si effectus ejus cito produci cupimus, unguentum hydrargyri ad drachmam singulas post affusiones infricatur, et devoratur plurimum submuriatis hydrargyri, cum radice colombæ, si stomachus irritatu facilis est. Viginti vel triginta drachmæ unguenti, et ter vel quater centum granæ submuriatis hydrargyri, intra spatium quatuor vel quinque dierum consumpta fuerint, antequam os solito modo affici fuerit visum; quantum quidem hydrargyri in corpus ita introductum, ægre in Europa credendum esset.

Ptyalismo miti concitato, hydrargyrus omittatur, et cibus nutriens cum vino detur, tunc demum in vado res esse creditur.

Usus hydrargyri, quo minus affusiones variæ adhiberentur, minime obstetit.

Plerique opinantur hydrargyrum propterea maxime profuisse, quod hepar modo proprio afficit; etenim quasdam affectiones hujus organi ille solus, ut perhibent, tollit; et hepar plane inter hanc febrem se male habet.

Vix ullum remedium contra ventriculum hoc morbo irritatum valet; exulcerantia præsertim ineunte morbo optima sunt; finem morbi versus quoque prosunt, inter scapulas aut femori utrique applicata.

Clysteres tepidi, ex rebus mucilaginosis et aromaticis in aqua bulliente infusis facti, quibus singulis guttæ LX vel LXXX tincturæ opii, vomitum et præcordia oppressa sublevaverunt, una cum irritabilitate gravissima, a viribus, nimis deplendo ut visum est, exhaustis orta.

Opium ægro nocet, etsi anxius minime dormiat. Doctor H. Maclean dicit, opium, ut bene dormiatur, nunquam efficisse; paulisper delirium ab eo auctum fuisse, cui stupor, non somnus supervenerat, et postridie languorem, irritabilitatem et infirmitatem adesse: cum autem febris se remisisset, ne rediret, se opium utilissime dedisse.

Cum gravissime doleat caput tristi, camphora et æther præscribantur.

Per stadium morbi ultimum, cinchona cum vino, ne putrescat corpus, devoretur; sed si vetat ventriculus, per clysterem introducatur.

Summa remedia sunt omnia quæ contra putredinem pugnant; inter quæ recensere licet, vinum et *aquam vitæ*, quæ cautissime sunt exhibenda: capsicum nuper multum laudatur.

Remissa febre, cinchona detur, quæ inter convalescendum utilissima fuit reperta : quidam ægri antè cælum mutaverunt, quam in valetudinem bonam redierint; interea quoque quassia amara detur, et si res postularet, lavatione frigida utamur.

Quidam auctor haud spernendus acida mineralia adhiberi posse in hoc morbo dicit, e quibus muriaticum maxime laudat *.

Ne diffundatur contagio, omnia sint munda, et omne fœdum sedulo amoveatur, et per cubile acetum aspergatur; suffimentis gaseis quoque utamur.

Per primos febris dies dentur potiones frigidæ, emulsiones et similia; postea autem puls, cibus mediæ materiæ, fortasse cum vino.

---

* Thomas's Practice.

Ex hoc morbo quis convalescit, si tarde confirmatur, ad tertiam ante meridiem horam in lecto conquiescere debet, tunc lavatione corpus permulcere; deinde delectationis causa, quantum juvat ambulare, circumcisa omni negotiosa actione; tum gestari diu; loca, cælum, cibos sæpe mutare; alias vinum bibat, alias aquam; alias amara, quæ roborent, sumat; per hæc fiet, ne in vitia febrem flavam inferentia incidat, et ut mature vires suas recipiat. Cum vero ex toto convaluerit, periculose vitæ genus subito mutabit, et inordinate aget. Paulatim ergo debebit, omissis his legibus, eo transire, ut arbitrio suo vivat.

FINIS.

Erratum

[illegible]ro utilissimæ sunt, lege

[illegible] p. XX.